33

AD CLARISSIMUM VIRUM

NICOLAUM GERARDUM

IN ANATOMICA FACULTATE

PRÆSTANTISSIMUM,

ET INCISIONES ANATOMICAS

IN ROMANO LYCEO

PUBLICE AGENTEM

CARMEN

DORILLI HERACLITEI

EDITUM A JOANNE BAPTISTA BALDOVINO.

ROMÆ MDCCLI.

TYPIS JOANNIS GENEROSI SALOMONI.

PRÆSIDUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google

CARMEN.

NUnc age Pæoniis Nicolaum Muſa memento
Artibus inſignem celebrare, & pandere terris;
Viribus ingenii fretum quem dexter Apollo
Suſtulit, atque ardens evexit ad æthera virtus.
Illum Sardoa genitum tellure, ſuiſque
Turribus egreſſum ſapientia fovit in ulnis,
Romulidumque dedit juveni conſidere tectis:
Scilicet humani meditans ut corporis artus
Diſceret & cauſas morborum, uſumque medendi.
Ergo decem relegens Naturæ arcana per annos
Sedibus ægrorum in magnis prope Tibridis amnem,
Auguſtam Petri qua ſemita ducit ad ædem,
Quæſivit venas, & viſcera luce carentum.
Hinc, ubi felices pandit ſapientia ſedes,
Movit idem ſecurus opus. Non ſtamina noſtri
Hunc cerebri latuere, & certis oſſibus oſſa
Nexa intus: comperta caro, motuſque magiſter

Digitized by Google

Muſculus, impoſitum facili qui lege movebat
Pondus, & innumeris venarum flumina rivis,
Pabula quæ membris olim præbere ſolebant.
Ut ſalit æterno cor implacabile motu,
Alma quod in media genitrix regione locavit:
Et quæ bile tumet ſtatio, quæ nutrit amorem,
Singula rimatur; ſtomachi, jecoriſque labores;
Et ſplenis vitium, ſalſas cum projicit undas;
Atque oculorum orbes, membranaſque uſibus aptas
Innumeris, triplex quibus innatat humor; & aures
Obſeptas tunicis, ſonitumque haurire paratas
Nervorum auxilio, Nicolai dextera ſolers
Evolvit. Non Democrito ſe jactet alumno
Græcia, qui cæſarum ovium, leporumque, canumque
Viſcera tentavit, cauſaſque aperire latentes
Morborum evaluit: non illum ad ſidera tollat,
Lactea qui primus teneris monſtravit in hædis
Vaſcula: & huic cedat, ductum thoracis aperti
Qui reperit; vel qui decurrere fluminis inſtar
Sanguineum humorem prior obſervaſſe putatur
Londino in magna Phœbi, Charitumque ſacerdos
Harvæus, Venetum fuerit ſeu gloria Paulus:
Quos ſi forte viros hæc ſæcula læta tuliſſent,
Vixiſſentve diu, Nicolai verba, manumque
Mirantes taciti obtutu fixa ora tenerent.
Corporis ipſe etiam humani ſcrutator Homerus,
Qui cecinit geminos Tydidæ vulnere nervos
Confractos Anchiſiadi, quibus apta vigebat
Coxendix, læſumque femur; Patroclique labore
Curatum Eurypilum, & Menelai in pectore vulnus
Ar-

Arte Machaonia ; fama ſuper æthera notus,
Inquit, eris Nicolae, & noſtra exempla ſequentem
Te ſibi dignetur præcinctum tempora lauro
Jungere honore parem medicæ pater artis Apollo.
Ut tibi nunc tacitum pertentant gaudia pectus,
Cum, Maſine, tuas doctum ſubtiliter artes
Per tua Gerardum veſtigia cernis euntem!
Nec minor in dura juvenem formaſſe palæſtra
Laus tibi, quam multos rapuiſſe e faucibus Orci
Romulidum, caſu queis tibia fracta maligno,
Aut latus enſe hauſtum, pubemve Erycina momordit.
Is quoque plaudentem Morgagno Antenoris urbem
Provocet ingenio non inferiora ſequutus.
Non illi celebrem Batavorum Curia alumnum
Anteferat venas ſcrutantem, & cæca legentem
Viſcera, ſanguineumque amnem, tenueſque canales.
Quare agite, o juvenes, ſi laurus, & inclyta fama
Gloria Gerardi ſtimulis haud mollibus urget,
Accelerate viam, & magnis inſiſtite cæptis:
Vos labor, & ſtudium divinæ exerceat artis,

Digitized by Google

IN EUNDEM

EPIGRAMMA.

Viderat humani ſcrutantem corporis artus
  Multa Virum medica ſollicitare manu;

Viderat, & ridens, ſertum date, dixit Apollo;
  Hæc, Gerarde, tibi præmia dignus habe.

Dignus Apollinea circumdare tempora lauro,
  Cujus Apollinea præſtat in arte manus.

Hæc mihi ſerta homines tali pro laude dederunt:
  Hæc, Gerarde, tenens par mihi Numen eris.

Digitized by Google